

sita jam validitate juramenti, condemnat, atque urget partes ad hujus observantiam. Ergo pari ratione, potest judicare de molestia, turbatione, aut violentia possessioni rerum spiritualium per laicos illata; cum non judicet super jure spirituali clericis competente (hoc enim non licere judici laico, aliunde constat), sed solum de mero factolaici, an revera intulerit injuriam, molestiam vel violentiam clerico, vel ejus possessioni; sicque clericus sit manutenendus, vel restituendus, necne. Atque hoc ipsum suadent rationes dubitandi, numer. 257 allatae, quas oportet in hoc sensu intelligere, atque explicare.

262. *Solvitur instantia.* — Nec dicas cum Covarruvia loc. cit. § *Verum*: Omnes causae ecclesiasticae debent tractari apud judices ecclesiasticos, non apud saeculares, c. *Decernimus*. 2. de *Judiciis*: atqui causa possessoria indistincte censetur ecclesiastica; uti liquet ex Clem. un. h. t. et Clem. un. de *Sequestrat. possess.*, ergo. Resp. minorem procedere solum de causa possessoria quoad proprietatem, seu quoad jus possidendi intentata: non vero, si in ea est mera questio facti; prout convincunt instantiae numer. praeced. adductae, et advertit Menochius cit. remed. 15, n. 220. Accedit, quod in cit. Clem. un. h. t. sit sermo de duobus clericis, super proprietate, vel possessione beneficii ecclesiastici litigantibus (laicus enim ipsius est incapax); unde non mirum, quod talis causa coram solo giudice ecclesiastico sit tractanda, cum clericus clericum coram saeculari giudice super nullo negotio convenire valeat. Atque id ipsum accidit in cit. Clem. un. de *Sequestrat. possess.*, uti patebit consideranti textum: ac proinde haec Clementinae parum urgent contra conclusionem.

§ IX.

AN ET QUANDO CAUSA POSSESSIONIS ET PROPRIETATIS CUMULARI POSSIT?

263. *Cumulare causam possessionis et proprietatis, quid, et quot modis contingat?* — Cumulare in judicio causam possessionis et proprietatis idem est, ac utramque in judicio proponere; seu agere tam possessorio, quam petitorio. Et hoc quidem pluribus, generatim autem duobus modis, accidere potest. I. Quando utraque causa proponitur ab eadem parte: sive dein id fiat simul, atque ab ipso

jam litis exordio; ut dum actor, qui asserit, se per alium re sua spoliatum fuisse, aut ab adipiscenda possessione ejusdem injuste impediri, intentat in libello judici oblato iudicium tum possessorium recuperandae, vel adipiscendae, tum petitorium, petendo, ut sibi tam possessio, quam proprietatis rei adjudicetur: sive id fiat successive, ut dum actor, postquam coepit agere petitorio, regreditur etiam ad possessorium. II. Quando causa possessionis et proprietatis in eodem iudicio proponitur divisim, seu ab utraque parte: ut dum actor incipit iudicium possessorium, petendo, rei litigiosae possessionem sibi adjudicari; reus autem excipiat, atque probare contendat, proprietatem seu dominium illius sibi competere: aut dum tam actor, quam reus, contendit simul super possessione ac proprietate rei. Quibus praenotatis,

264. *Possunt haec cumulari, proponendo utramque in eodem iudicio.* — Quæritur I. Utrum causa possessionis ac proprietatis possit cumulari, proponendo utramque simul in eodem iudicio? Resp. affirmative. Idque probatur ex c. *Ad ultimum*, 2, h. t., ubi iudices delegati, ad parcendum gravioribus partium sumptibus, commixtim audiunt probationes, atque testes tam super causa possessionis, quam proprietatis. Concordat c. *Cum Ecclesiae*, 3, et c. *Cum super*, 4, et c. *Cum dilectus*, 6, h. t., ubi super possessorio et petitorio, simul actum fuisse legitur. Et merito istud de jure permittitur: tum ut lites citius finiantur, juxta l. *Properandum*, c. de *Judiciis*: in tali enim casu ambae causae eadem sententia sunt terminandae, uti amplius infra dicetur, sicque evitatur perniciosus causarum circuitus. Tum ut hac ipsa ratione praecaveatur majoribus partium litigantium expensis, d. c. *Ad ultimum*, h. t.

265. *Demptis certis casibus; et quibus?* — Solum nota, quod parte opponente, non admittatur cumulatio petitorii et possessorii simul; prout notat Ludovic. Postius in tract. *Mandati de Manutenendo*, observat. 7, n. 41, citans Caputaquen. decis. 143, part. III, n. 2. Et multo minus potest petitorium cumulari cum remedio possessorio retinendae ex officio iudicis: quia nullo modo potest in hoc iudicio misceri petitorii causa. Menochius de *Retinend. possess.* remed. ult. n. 30; Postius loc. cit. n. 42; Mascardus de *Probation.*, concl. 1211, n. 3, una cum Bologn. in l. *Naturaliter*, § *Nihil commune*, part. II, in fin. ff. de *Acquir. possess.* Sicut et data conclusio locum

non habet, quando spoliatus agit possessorio recuperandae, simulque excipit contra spoliatorem volentem agere super petitorio, seu super proprietate rei; prout amplius infra n. 273 et 274 declarabitur.

266. *Orta possessionis et proprietatis lite, oportet prius judicare de possessione. Et quando hoc verificetur?* — Objicies nihilominus contra praemissam conclusionem: Pluribus in locis utriusque juris expressum habetur, quod orta possessionis et proprietatis lite, oporteat prius judicare de possessione; ergo haec duae causae nunquam possunt cumulari seu simul tractari in eodem iudicio. Antecedens patet ex l. *Incerti juris*, c. de *Interdict.*, ubi dicitur: « Incerti juris non est, orta proprietatis et possessionis lite, prius possessionis decidi oportere quaestionem competentibus actionibus, ut ex hoc ordine facto, de domini deceptatione probationes ab eo, qui de possessione victus est, exigantur. Concordat textus in l. *Ordinarij*, c. de *Rei vindicat.* ibi: « Ordinarij juris est, ut prius exhibitis mancipiis de possessione iudicetur; ac tunc demum proprietatis causa ab eodem iudice decidatur. » Et quod plus est, hoc ipsum, quod jure civili antea statutum fuerat, expressis verbis approbat Pontifex in d. c. *Ad ultimum*, 2, h. t.; ergo.

Resp. jura proxime allata procedere, quando dubitatur de ipsamet possessione, seu quis actu possideat: ut fit, quando uterque litigantium et de possessione, et de proprietate contendit; ac neuter eorum in se suscipere vult onus probandi proprietatem (eo quod difficilis existat probationis), sed quilibet istud onus in alterum rejicere sategit. In hoc siquidem casu non potest agi possessorio, et petitorio simul (neque enim appareret, quis probare teneretur in petitorio); sed oportet prius tractari, discuti atque terminari quaestionem super possessione; sic quippe ab eo, qui de possessione victus est, poterunt postea exigi probationes super proprietate, cit. l. *Incerti juris*, c. de *Interdict.*, et l. *Exitus*, ff. de *Acquir. possess.*; alioquin, ac nisi de proprietate docuerit, succumbet etiam in petitorio. At vero data conclusio nostra, una cum iuribus in ipsa allegatis, procedit, quando non dubitatur de possessione, seu quis actu possideat: sed, supposito, quod reus actu possideat, actor contra eum intentat simul iudicium petitorium, atque possessorium recuperandae, si jam antea possederat, ac se spoliatum contendat; vel

(si antea nondum possederat) adipiscendae possessionis. Abbas d. c. *Ad ultimum*, n. 3, h. t.; Vallensis eod. § 4, n. 5.

267. *Cumulatio actionum est prohibita; et qualium?* — Instabis: Cumulatio actionum est prohibita in l. *Quod haerede*, § *Eligere*, ff. de *Tributoria action.* ibi: « Eligere quis debet, qua actione experiatur: utrum de peculio, an tributoria: cum sciat sibi regressum ad aliam non futurum, » cum similibus: ergo neque actio petitoria poterit cumulari cum possessoria. Resp. antecedens esse verum loquendo de illis actionibus, quae vel sunt contrariae, vel quae electione tolluntur, vel in quarum prima sententia absolutoria lata parit exceptionem rei iudicatae in secunda. Tunc siquidem merito rejicitur cumulatio actionum: partium quia contrariorum eadem est ratio, ut posito uno, alterum removeatur; ac proinde contrarias actiones nemo potest exercere, l. un. c. *Si servus extero*, etc., et l. I, c. de *Furtis*. Partim quia ubi actio aliqua electione alterius tollitur, hac electa pracluditur via ad alteram, c. l. I, c. de *Furtis* et l. *Quod in haerede*, ff. de *Tribut. action.* Partim quia, ubi duae actiones ita se habent ad invicem, quod sententia absolutoria lata in primo iudicio, pariat exceptionem rei iudicatae in secundo; et condemnatoria lata in secundo, pariat reo praedictum in primo: si admitteretur cumulatio earum, jam per secundam sententiam fieret praedictum primae, et econtra; quod est absurdum, arg. l. *Fundum*, 16, cum. 2, seqq. ff. de *Except.*, ac fuse tradit Dynus in reg. 20. *Nullus pluribus*, n. 9 et seqq. de *Reg. jur.* in 6, et Abbas in c. *Cum dilectus*, n. 6. vers. *Tres enim sunt*, h. t.

268. *Regula, quando admittatur actionum cumulatio.* — Econtra vero est recepta doctorum regula: « Ubi plures sunt actiones non contrariae, et quae electione non tolluntur, et in quarum prima sententia absolutoria lata non parit exceptionem rei iudicatae in secunda, ibi admittitur cumulatio. » Dynus et Abbas, ubi supra; Jason in l. *Edita actio*, n. 34, c. de *Edendo*, et alii. Atque idcirco, dum nullum horum impedit, recte admittitur cumulatio causae possessionis et proprietatis in eodem iudicio.

269. *Sententia lata in petitorio, an pariat exceptionem rei iudicatae in possessorio?* — Urgebis: Sententia lata in petitorio, parit exceptionem rei iudicatae in possessorio; ergo non possunt cumulari, juxta regulas cumula-

tionis proxime allatas. Antecedens probatur ex c. *Cum Ecclesia*, et c. *Cum dilectus*, h. t. ubi sententia lata super proprietate, ita absorbet atque elidit sententiam latam super possessione, ut hæc non debeat mandari executioni; ergo. Resp. neg. anteced. Quia causa possessionis est omnino separata a causa proprietatis, nihilque cum hac habet commune, l. *Naturaliter*, § *Nihil*. ff. de *Acquir. possess.*, et l. *Permiseri*, § 2, ff. eod. Ex diversis autem non fit bona illatio, arg. l. ult. § fin. ff. de *Calumniat.*, et notat Bartolus ibid., et Barbosa tract. de *Axiomat.*, axiom. 114. citans alios.

270. *Sententia lata in petitorio an pariat exceptionem rei judicate in possessorio?* — Proinde, sicut sententia lata in possessorio, non parit exceptionem rei judicate in petitorio, text. clar. l. *Et an eadem*, § fin. ff. de *Exception. rei judicat.*; ita pariter sententia lata in petitorio, non parit exceptionem rei judicate in possessorio, arg. l. *Julianus*, § ff. eod., ac notat Dynus ad reg. 71. *Qui ad agendum*, n. 6, de *Reg. jur.* in 6.

271. *Sententia lata in possessorio absorbetur per sententiam illico pro parte adversa latam in petitorio, quoad effectum principalem, non quoad effectus secundarios.* — Ad probationem antecedentis negatur consequentia. Quia, licet in eo casu, quo post sententiam latam in possessorio pro favore unius partis, illico sequitur sententia super petitorio pro favore alterius partis, per hanc elidatur prior sententia lata in possessorio quoad effectum suum principalem, ita videlicet, ut ipsa non debeat mandari executioni; nihilominus ejusmodi sententia, seu verbalis adjudicatio possessionis, operatur nonnullos alios effectus secundarios, seu minus principales, infra § seqq. n. 292 et seqq. enumerandos: ac proinde non penitus eliditur, et absorbetur per sententiam latam in petitorio.

272. *Sententia in possessorio operatur multum quoad receptionem fructuum, quos spoliator interim perceperat.* — Accedit, quod saltem non urgeat instantia, ejusque probatio in eo casu, quando una eademque pars, sive actor sit sive reus, obtinet simul tam in possessorio, quam in petitorio. Nam tunc sententia lata in petitorio, non solum non absorbet alteram latam in possessorio, sed potius hanc fovet et corroborat. Insuper in tali casu sententia lata in possessorio habet effectum notabilem, quem non haberet sola sententia in petitorio reportata: nam si quis sua possessione

spoliatus fuisset, prodesset sententia super possessione in ejus favorem lata quoad eos fructus, quos spoliator a tempore dejectionis seu spoliationis percepit, aut percipere potuit: quia hi omnes spoliato erunt restituendi, ut c. *Gravis*, 11, de *Restitut. spoliat.*, et l. I, § *Ex die*, ff. de *Vi et vi armat.*, et l. *Si de possessione*, c. *Unde vi*. Tales autem fructus sibi restituendos non consequeretur quis ex vi solius petitorii: ut tradit Abbas in c. *Pastoralis*, n. 32, h. t. ac notatur in d. c. *Gravis*.

273. *Causa possessionis, et proprietatis, non potest in omni materia cumulari. Spoliatus agens possessorio recuperandæ, non tenetur spoliatori respondere ante factam restitutionem spoli.* — Quæritur II. An semper, et in omni materia, causa possessionis et proprietatis possit cumulari, simulque tractari? Resp. negative: patitur enim istud quasdam limitationes. Et primo quidem in casu factæ spoliationis: quando enim spoliatus agit possessorio recuperandæ possessionis contra spoliatorem, et iste excipit contra eum super proprietate, aut ipsum reconvenit intentando vicissim petitorium super proprietate rei per spoliationem acquisitæ; certum est, quod iste nullo modo sit audiendus, neque admittendus ad probandam rei proprietatem, nisi prius restituerit spoliatum. Siquidem quæstio spoliationis est privilegiata; adeo, ut ipsam intentans, atque probans, deinceps non teneatur suis spoliatoribus respondere ante factam sibi restitutionem spoli, text. clar. cap. ult. de *Ordin. cognit.* Ac proinde, si spoliator velit agere super proprietate, tenetur is antea restituere spoliatum; et tunc primum, si quid habet, super rei proprietate sibi competente proponere valet.

274. *Dummodo excipiat contra spoliatorem; alias secus.* — Intellige hoc, dummodo spoliatus agens possessorio recuperandæ, excipiat contra ejusmodi spoliatorem allegando istud privilegium spoliationis, antequam reus spoliator audiatur. Nam si actor spoliatus non exciperet, antequam reus spoliator audiatur, valeret reconventio super proprietate: neque poterit deinceps actor amplius excipere, postquam reus jam fuit auditus super proprietate. Siquidem hæc est quædam exceptio dilatoria, ac proinde proponenda ante litis ingressum, c. *Inter monasterium*, 20, de *Sent. et re judicat.*; Abbas d. cap. ult. n. 7, de *Ordin. cognit.*, et Innocentius ibid.; Menochius, de *Recuperand. possess. remed.* 1, n. 174, citans alios.

275. *Ipsemet spoliatus, si velit, potest simul agere possessorio recuperandæ, et petitorio.* — Fatendum tamen, quod ipsemet spoliatus, si velit, possit agere simul et possessorio recuperandæ, et petitorio judicio: quia nullo jure id ei prohibitum reperitur. Et tunc, quando actor agit utroque judicio, etiam reus sese defendere potest super utroque judicio; ut c. *Cum Ecclesia*, 3, et c. *Cum super*, 4, h. t., ac notat Glossa magna in c. *Cum dilectus*, eod. Verumtamen in tali casu ad obtinendum in petitorio, non sufficit probare solam possessionem, arg. cap. ult. h. t., juncto summario ibid. Siquidem possessio et proprietates nihil habent commune, l. *Naturaliter*, § 2, ff. de *Acquir. possess.*, ac proinde ab illa ad istam non est bona illatio, cap. ult. h. t. Igitur in hujusmodi casibus actor probans possessionem et spoliationem, sed non proprietatem spoli, obtinet in possessorio, sed succumbit in petitorio; nam actore non probante, reus absolvitur.

276. *Judicium possessorium retinendæ regulariter non potest cumulari cum petitorio.* — Secundo allata doctrina passim limitatur in judicio retinendæ possessionis. Nam, licet certum sit, judicium adipiscendæ et recuperandæ possessionis posse cumulari una cum petitorio, per rationes et jura n. 264 allegata; hoc tamen de possessorio retinendæ plurimi doctores negant: quia (inquiunt) agens possessorio retinendæ, et simul petitorio, allegaret contraria; juxta amplius dicenda n. 278, sicque non foret audiendus. Et quidem hæc doctrina, seu limitatio, regulariter loquendo habet locum: utrum autem in quodam casu extraordinario secus fieri possit, difficultas non modica existit. Unde

277. *An vero possit aliquando sic cumulari, est quæstio perdifficilis.* — Quæritur III. An judicium possessorium retinendæ possit aliquando cumulari, simulque ab eodem proponi una cum petitorio? Resp. I. Hæc quæstio est ardua et perdifficilis, prout fatetur Eagnanus in c. *Cum Ecclesia*, n. 14, h. t., ac etiam perplexa juris quæstio, quæ omnium ingenia exercuit; ut loquitur Menochius, de *Retinenda possess. remed.* 3, quæst. 66, n. 511, fusissime postmodum eandem petraetans, atque in novem casus distinguens.

278. *Sententia negativa refertur, ejusque fundamentum.* — Et quidem sententiam negativam tenet Glossa in c. *Pastoralis*, § *Quod de recuperanda*, h. t. et Abbas ibid., n. 17; Pirhing eod. n. 39, et alii plures. Fundamen-

tum hujus sententiæ est: quia judicium possessorium retinendæ (quale est interdictum *Uti possidetis*, et interdictum *Utrobi*) ac judicium petitorium super eadem re, videntur inter se repugnare; unde utramque simul intentans allegaret contraria, sicque non esset audiendus. Antecedens probatur ex eo: quia, qui agit interdicto retinendæ, asserit se possidere, petitque manuteneri in possessione contra adversarium qui ipsum in sua possessione turbare, seu molestare conatur: qui autem agit petitorio, sive rei vindicatione, hoc ipso saltem tacite asserit, atque fatetur, se non possidere, sed adversarium suum. Atqui possidere, et non possidere, sunt contraria, seu potius contradictoria; et consequenter hæc simul asserens, dum vult agere possessorio retinendæ ac petitorio simul, tanquam sibi ipsi contradicens, et contraria allegans, non foret audiendus, sed repellendus, juxta c. *Examinata*, 15, de *Judiciis*, et c. *Sollicitudinem*, 34, § fin. de *Appellat.*, et l. *Ubi pugnantia*, ff. de *Reg. jur.*

279. *Agens petitorio fatetur se non possidere. Contrarium.* — Major hujus probationis quoad priorem partem est clara ex terminis: quoad alteram vero, sive quod agens petitorio fateatur hoc ipso, se non possidere, sed adversarium, probatur ex eo: quia ei, qui possidet, non datur actio in rem, et rei vindicatio, § *Quod genus*. Instit. de *Action.*, et l. un., c. de *Alienat. jud. mut. caus.* Ut quid enim quis petat ab adversario id, quod actu jam possidet? Siquidem « et civilis et naturalis ratio facit, ut alius possideat, alius a possidente petat, » prout loquitur imperator in § *Retinendæ*. Instit. de *Interdict.* Accedit, quod in l. *Incerti juris*. c. de *Interdict.* et l. *Ordinariæ*, c. de *Rei vindicat.* jubeatur prius discuti, ac terminari judicium possessorium ante petitorium; ergo hoc ipso videtur negari posse petitorium cumulari una cum judicio possessorio, saltem retinendæ possessionis: nam de interdicto adipiscendæ et recuperandæ, oppositum per alia jura expresse liquet; simulque in istis nulla intervenit contrarietas cum petitorio. Verum his non obstantibus,

280. *In juribus incorporalibus bene potest cumulari judicium petitorium, et possessorium retinendæ. Acta confessoria, quæ?* — Resp. II. Loquendo de incorporalibus, ut puta servitutibus, aliisque juribus, bene potest cumulari judicium petitorium et possessorium retinendæ. Ita Bartolus in l. *Naturaliter*. § *Nihil commune*. vers. « Secunda combinatio quando

unus et idem, » n. 18; et Jason ibid. n. 127. ff. de Acquir. possess. Menochius cit. remed. 3, de Retinend. possess. quæst 66, n. 139, citans Baldum, et Castrensem in l. Ordinarii. C. de Rei vindicat., et plures alios. Idque desumitur ex § *Æque si agat*. instit. de Actionib., ubi clare habetur, quod in incorporalibus, puta in servitutibus, is qui possidet, possit agere actione in rem quæ a juristis dicitur « Actio confessoria. » Et hæc quidem est ea, quæ competit actori asserenti, quod habeat jus, seu servitutem in fundo, vel prædio proximi: nam mediante tali actione is, qui possidet jus servitutis, petit per sententiam judicis declarari, quod ei debeatur talis servitus hactenus jam possessa, ac proinde adversario suo ipsum in tali jure, ejusque quasi possessione molestanti, imponatur silentium, vel cautio præstanda de non impediendo. Mynsinger ad cit. § *Æque si agat*; instit. de Actionib. Accedit ratio: quia loquendo de incorporalibus, puta de servitutibus, cumlatio iudicii possessorii et petitorii nullam involvit contrarietatem, seu contradictionem; uti liquet ex proxime dictis.

281. *Estque probabilis hoc ipsum aliquando fieri posse in rebus corporalibus.* — Resp. III. Etiam loquendo de rebus corporalibus videtur probabilis, quod possit aliquando iudicium possessorium retinendæ cumulari cum petitorio. Ita ex professo Speculator, tit. de Petitorio et possessorio. § 1, n. 29; Zoësius h. t. n. 6; Vallensis eod. § 4, n. 4; Engel n. 9. Consentit nonnihil Menochius, loc. cit. n. 543 asserens tunc hæc iudicia cumulari posse, quoties iudicium petitorium est tale, ut iudicio possessorio fomentum afferat. Et Imola in Clem. un. § *Glossa spoliantis*, h. t., ubi ait: « Licet possessorium retinendæ non possit regulariter intentari cum petitorio ratione contrarietatis, fallit tamen hoc in incorporalibus; ac etiam tunc, quando respectu diversæ possessionis intentarentur, puta, possessorium ratione civilis et petitorium ratione naturalis possessionis. »

282. *Idque probatur.* — Ratio conclusionis est, quia nulla in hoc reperitur repugnantia, sive contrarietas; ergo, cum jura indistincte admittant cumulationem possessorii cum petitorio, cap. I, II, IV et VI, h. t. non est, cur hinc penitus excludamus interdictum retinendæ possessionis. Antecedens probatur ex l. *Naturaliter*. § fin. ff. eod., ubi dicitur: « Non enim videtur possessioni renuntiasse, qui rem vindicavit. » Item ex c. *Dilectus*. 2, de Capell.

monach. Ubi talis casus indicatur. Hoc ipsum probatur enervando principale fundamentum oppositæ sententiæ: siquidem agens petitorio, non idcirco fatetur, ne tacite quidem, adversarium suum possidere; ergo corrumpit principale fundamentum oppositæ sententiæ. Antecedens patet ex l. *Officium*. 9. ff. de Rei vindicat., ubi rejecta quorundam opinione, contraria admittitur rei vindicatio, seu iudicium petitorium adversus depositarium, commodatarium, conductorem, aut qui legatorum servandorum causa, vel dotis, aut rei servandæ nomine in possessione est; et generaliter adversus omnes illos qui detinent, et restituendi facultatem habent. Atqui tales non possident, prout in cit. l. *Officium*, dicitur, juncta l. *Possideri*. § fin. ff. de Acquir. possess. Ergo, cum nihilominus contra eos possit agi iudicio petitorio, clare sequitur, quod actor instituens petitorium contra adversarium, non per hoc fateatur, ne tacite quidem, eum possidere; sicque corrumpit principale fundamentum contrariæ sententiæ n. 278 allegatum.

283. *Idque probatur.* — Confirmatur, atque hoc ipsum magis declaratur: quia ratione solius detentionis, qua quis detinet rem alterius, et ipsam postulatus, cum posset, non vult reddere, competit domino illius rei vindicatio, sicque iudicium petitorium; uti convincitur ex l. *Officium*. ff. de Rei vindicat. Nam depositarius, vel commodatarius detinet quidem rem depositam, vel commodatam, non tamen possidet: quia dominus deponens vel commodans, non solum retinet ejus proprietatem, sed etiam possessionem, l. *Licet deponere*. ff. *Depositum*, et l. *Rei commodatæ*. ff. *Commodati*; et tamen contra depositarium, vel commodatarium competit domino rei vindicatio. Sufficit proinde ad instituendum petitorium, quod alter rem nostram detineat aut in possessione ejus existat, et requisitus cum posset, reddere nolit, licet non possideat: quo facto dominus rei ab altero injuste detentæ, potest contra eum instituere tum possessorium retinendæ, quia rem illam civiliter possidet, tum petitorium ratione proprietatis sibi competentis. et si vult, potest etiam utrumque iudicium cumulare, ac simul intentare; quia nulla in hoc reperitur contrarietas, aut repugnantia; simulque Pontifex in cap. I, II, IV et VI, h. t. indistincte concedit possessorium et petitorium simul in iudicium deduci.

284. *Solvuntur rationes in oppositum.* — Et

per hoc patet ad principale fundamentum oppositæ sententiæ n. 278 relatam. Negatur enim, quod agens petitorio, necessario per hoc fateatur, saltem tacite, alterum possidere: nam, ut dictum, sufficit, quod lateatur, alterum detinere, vel in possessione rei existere: hæc autem sunt valde diversa. l. *Si quis ante*. ff. de Acquir. possess., estque jam supra § 1, n. 9, dictum. Ad probationem, negatur assumptum ob textum clarum ex d. l. *Officium*, ff. de Rei vindicat. jam allegatum.

285. *Solvuntur rationes in oppositum.* — Ad § *Quod genus*, instit. de Action., dicitur, ibi imprimis clare haberi, quod in incorporalibus is, qui possidet, possit agere actione in rem, quæ a juristis dicitur « Actio confessoria: » estque jam dictum supra n. 280. Deinde, quamvis textus in cit. § *Quod genus* videatur velle, quod in corporalibus ille dumtaxat possit agere, qui non possidet; nihilominus respondetur, istud procedere regulariter; fallere tamen in casu, quando actor civiliter possidet, reus autem rem actualiter detinet, aut est in ejus possessione custodiæ causa, vel alia consimili ratione. Nam tunc actor potest contra talem reum agere in rem sive rei vindicatione, ac iudicio petitorio, quando iste debite requisitus non vult restituere rem illam, et tamen restituendi habet facultatem, per jura in conclusione allegata. Et pari modo respondetur ad cit. § *Retinendæ*, instit. de Interdict.

286. *Solvuntur rationes in oppositum.* — Porro in l. un. C. de Alienat. judic. etc. solum dicitur, quod « in rem actionem possessio pariat adversario: » non tamen negatur, quin possessio possit habere actionem in rem contra eum, qui rem detinet, eamque cum possit reddere non vult. Ad l. *Incerti juris*, et l. *Ordinarii*, etc. jam patet ex dictis n. 265 et 266; nec loquuntur in casu, ubi dubitatur de ipsa possessione. sive quis possideat: alias secus.

§ X.

DE MODO PROCEDENDI SUPER CAUSA POSSESSIONIS ET PROPRIETATIS SIMUL INTENTATA, AC DE REGRESSU A PETITORIO AD POSSESSORIUM.

287. *Quando partes agunt iudicio possessionis et petitorio simul, potest iudex commixtim super utraque causa probationes testesque recipere.* — Quæritur I. Quomodo procedendum

sit in causa, quando partes agunt iudicio possessorio et petitorio simul? Resp. I. Iudex potest tunc commixtim super utraque causa recipere probationes, testesque admittere. Textus est in c. *Ad ultimum*. 2. h. t., ac tenet communis doctorum. Et merito: tum ut partatur laboribus, et gravioribus partium expensis, quas alioquin subire cogentur in producendo his testes super dictis iudiciis, si nonnisi separatim tractari possent, aut seorsim tractarentur; tum quia mos est gerendus partibus probare volentibus, l. *Circa*. 14. ff. de Probat., et c. *Licet*. 9, eod.

288. *Et postea utramque causam una sententia terminare.* — Resp. II. Quando simul iudicio possessorio et petitorio actum fuit, propositis hinc inde atque examinatis sufficienter probationibus, utrumque una sententia terminari debet; ita tamen, ut in pronuntiando præmittatur possessorium, sed in exequendo prævaleat petitorium. Ita communis; et habetur expressum in c. *Cum dilectus*, 6, h. t., juncto c. *Cum Ecclesia*. 3, et c. *Cum super*. 4, eod. Siquidem « Iudex, de qua re cognoverit (saltem principaliter, ut explicat Glossa) pronuntiare debet per textum in cit. c. *Cum super eod.* et l. *De qua re*. ff. de iudiciis: » et consequenter, ubi iudex super possessorio et petitorio simul cognovit, de utroque pronuntiare debet.

289. *Debet tamen prius discuti et terminari possessorium, quando dubitatur quis possideat; aut quando solum constat de possessorio.* — Nec obstat id, quod in c. *Ad ultimum*. 2, h. t. legitur, videlicet quod auditis super utraque causa commixtim probationibus, possit iudex prius discutere probationes super possessorio illudque pronuntiata super possessione sententia terminare. Resp. enim, capitulum istud procedere in casu, quando dubitatur, quis possideat: ut si utraque pars litigantium contendat se possidere, simulque sibi competere rei proprietatem: tunc enim omnino necesse est, prius agi, discuti atque terminari, possessorium, ut sic apparere valeat, cui incumbat onus probandi in petitorio; ut l. *Incerti juris*. C. de Interdict., et l. *Ordinarii*. C. de Rei vindicat., ac dictum est supra n. 265 et 266. Idem locum sibi vindicat, quando ex allegatis et probatis nondum liquere potest de utroque, sed solummodo de possessorio; aut si ex aliis circumstantiis, atque rationibus ita expedire videatur: tunc enim iudex ex officio procedere potest, juxta tenorem cit. c. *Ad ultimum*. 2, h. t., ac pronuntiare tantum